

effugiunt: contra copia ignauiam affert, ac iam melle non erithace pascuntur. ergo diligentiores, ex hac vindemia xij. partem apibus relinquunt. Dies status inchoandi, vt quadā lege naturæ, si scire aut obseruare homines velint. xxx. ab educto examine: fereq; Maio mense includitur hæc vindemia. Alterum genus est mellis æstiuū, quod ideo vocatur horæum, à tempestitate præcipua, ipso siriō explendescente post solstitium diebus xxx. fere. Immensa circa hoc* subtilitas naturæ mortalibus patefacta est, nisi fraus hominum cuncta pernicio corrumpere. Nanque ab exortu syderis cuiuscunque, sed nobilium maxime, aut cælestis arcus, si non sequantur imbres, sed ros tepescat solis radijs, medicamenta non mella gignuntur, oculis, vlcerebus, internisq; visceribus dona cælestia. Quod si seruetur hoc siriō exoriente, casuque congruat in eundem diem (vt sepe) Veneris, aut Iouis, Mercurij he exortus, non alia suauitas, visq; mortalium malis à morte vocandis, quàm diuini nectaris fiat.

Quomodo probentur mella. CAP. XV.

MEl plenilunio vberius capitur, serena die pinguis. In omni melle quod per se fluit, vt mustum oleumq; appellaturq; aceton, maxime laudabile est. Aestiuum omne rutilū, vt diebus confectum siccioribus. Aptissimū existimatur è thymo, coloris aurei, saporis gratissimi, quod fit palam doliolis, pingue, marino è rore spissum. Quod cōcrefcit autem, hoc minime laudatur. Thymosum non coit, & tactu prætenuia fila mittit, quod primum grauitatis argumentum est. Abrumpi statim & resiliere guttas, vilitatis indicium habetur. Sequens probatio, vt sit odoratum ex dulci acre, glutinosum, perlucidum. Aestiuua mellatione decimam partem Thasio Dionysio apibus relinqui placet, si pleni fuerint aluei: si minus, pro rata portione: aut si inanes, omnino non attingi. Huic vindemiæ Attici signum dedere initium caprificialem diem Vulcano sacrum.

De tercio genere mellis, & quomodo apes probentur. CAP. XVI.

Tertium genus mellis, minime probatum, syluestre, quod ericæum uocant. Conuehitur post primos autūni imbres, cum erice sola floret in syluis, ob id harenoso simile. Gignitur id maxime Arcturi exortu à pridie Idus Septemb. Quidam æstiuā mellationem ad Arcturi exortum proferunt, quoniam ad æquinoctium autumnii ab eo supersint dies xiiij. & ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum diebus xlviij. plurima sit erice. Athenienses tetralicem appellant, Eubæa sisaram, quam putāt apibus esse gratissimam, fortassis quia nulla tunc alia sit copia. Hæc ergo mellatio sine vindemiæ & Vergiliarum occasu, idibus Nouemb. fere includitur. Relinqui ex ea duas partes apibus ratio persuadet, & semper eas partes fauorū, quæ habeant erithacen. A bruma ad Arcturi exortum diebus lx. somno aluntur sine vilo cibo. Ab Arcturi exortu ad æquinoctium vernū tepidiore tractu

iam vigilant: sed etiam tunc alueo se continent, seruatōsq; in id tempus cibos repetunt. In Italia vero hoc idem à vergiliarum exortu faciunt, & in eum dormiunt. Alueos quidam in eximendo melle expendunt, ita diribentes quantum relinquunt. Aequitas quidem etiam in eis obstringitur: feruntq; societate fraudata alueos mori. In primis ergo præcipitur vt lauti puriq; eximant mella. & furem mulierumque menses odere. Cum eximuntur mella, apes abigi fumo vtilissimum, ne irascantur, aut ipsæ auide vorent. Fumo crebriore etiam ignauia earum excitatur ad opera. nam nisi incubauere, fauos liuidos faciūt. Rursus nimio fumo inficiuntur: quarum iniuriam celerime sentiunt mella, vel minimo cōtactu roris acescentia. Et ob id inter genera seruat, quod acapnon vocant. Albū mel non fit quod bithymum est, sed oculis & vlcerebus aptissimum existimatur. Fætus quoniam modo prognerent, magna inter eruditos & subtilis quæstio fuit. Apum enim coitus visus est nunquam. Plures existimauere oportere cōfici floribus compositis apte atq; vtiliter. Aliqui coitu vniū, qui rex in quoq; appellatur examine. Hunc esse solum marem, præcipua magnitudine, ne fatiscat. Ideo fætu sine eo non edi: apesq; reliquas tanquam marem fæminas comitari, non tanquam ducem: quam probabilem alias sententiā fucorum prouetus coarguit. Quæ enim ratio, vt idem coitus alios pfectos, imperfectos generet alios? Propior vero prior existimatio fieret, ni rursus alia difficultas occurreret. Quippe nascuntur aliquando in extremis fauis apes grandiores: quæ ceteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum: quoniam modo nascens, si ipsæ fingunt? Quod certum est, gallinarum modo incubāt. Id quod exclusum est, primū vermiculus videtur candidus, iacēs transuersus, adhærēsq; ita vt pascere videatur. Rex statim mellei coloris, vt electo flore ex omni copia factus, neq; vermiculus, sed statim penniger. Cætera turba cū formā capere cœpit, nymphæ vocatur: vt fuci, sirenes aut cephenes. Si quis alterutris capita demat, prius q̄ pennas habeant, pro gratissimo sunt pabulo matribus. Tēpore procedente instillant cibos, atq; incubāt, tū maxime murmurātes caloribus (vt putāt) faciēdi gratia, necessarij excludēdis pullis, donec ruptis mēbranis, quæ singulos cingunt, ouorum modo vniuersum agmen emergat. Spectatū hoc Romæ consularis cuiusdā suburbano, alueis cornu laterne translucido factis. Fætus intra xlvi. diem peragitur. Fit in fauis quibusdā, qui vocatur clerus, amara duritia cere, cum fætu inde nō eduxere morbo aut ignauia, aut infæcūditate naturali. Hic est abortus apū. Protinus autem educti operantur quadam disciplina cum matribus: regemq; iuuenem æqualis turba comitatur. Reges plures inchoantur ne desint. Postea ex his soboles, cum adulta esse cœpit, concordii suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. Duo autem genera eorum, melior ruffus quàm niger variusque. Omnibus forma semper egregia, & duplo quàm ceteris maior penna

* sublimitas

10

20

30

40

50

* ipsæ se fingunt

penna